# DE VIRGILII PHILOSOPHIA

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.

# DE

# VIRGILII PHILOSOPHIA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

**PIERRE GAUTHIEZ**

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

MDCCCXCV

CARISSIMAE MEMORIAE

MICHAELIS GVÉRARD

IN GYMNASIO SANCTAE BARBARAE

OLIM RECTORIS

HOC OPVSCVLVM

PIGNVS FIDEI

NEPOS AC DISCIPVLVS

D. D. D.

FONTANETI A ROSIS

MDCCCXCV

Quanquam in permultis libris, iisque praecipue et praestantissimis, quas docti, tum in Anglia et Germania, tum in Gallia, viri dederunt, editionibus, ea ipsa materia tractata est, quam attingere ausi sumus; tamen operae pretium fore visum est, si sparsae undique sententiae et commentarii diversi una, ut ita dicamus, mole cogerentur. Praecipue quum Virgilianae aetatis moribus, et iis a clarissimis auctoribus et recentioribus, vulgatis, ipsius poetae carmina conferre, necnon illustrare, tentaremus. Quibus operibus scriptorum maxime usi simus, infra conscribere liceat.

## EDITIONES VIRGILIANAE

Heyne *ad Donati vitam.*
Benoist.
Conington.
Servii et Donati. *Comment.*
Madvig (*Commentarii*).
J.-H. Voss, *Comment. virgil.*, t. II, p. 22 sqq.

## ALIA OPERA

Lucretius, ed. Munro, passim.
Ciceronis *Tuscul.*, IV; *De Finibus*, I, II, VI; *Topica*, I;

*De nat. deorum*, XIII, 32; *De Divin.*, I, 28, et II, 66; *Ad familiares*. *De Republ.*, I, 10; *De Senectute*, 20; *De Rhet.*, II, 22.

*Anthologia graeca*, IX, 188.

Zeller, *Gesch. der griech. Philosophie*, III, 1, 348, 353 et passim.

Eichoff, *Études grecques sur Virgile*, 3 vol. in-8.

Friedlaender, *Sittengeschichte Rom's*, IV, XII.

Havet, *le Christianisme et ses origines*, II, et I, 68.

Burmann, *Mythol. lat.*, I, 368-677.

Preller, *Griech. Mythologie*, I, 573-579.

Plutarchi, *Consol. ad Apollonium*, 115.

Platonis, *Phédon*, 67, 80; *Phèdre*,250; *Ménon*, 81; *Lois*, IX, 854; *Philèbe*, 12, 28; *Sophiste*, 265, *Timée*, p. 40.

Menander, *Ap. Stobaeum*, CXXXI, 7.

Athenaei, *Deipnosophistae*, XI, 463.

Plauti, *Persa*, 628; *Trinummus*, 648.

Aristotelis, *De Coelo*, I, III, 6; περὶ ψύχης, A, V, 410, 2, et 411, 1, éd. Bekker; *Metaph.*, XI, 8, 254.

Horatii, *Carmina*, II, 3, 27.

Orelli, *Opuscula veterum Graecorum sententiosa*.

Denis, *Histoire des idées morales dans l'antiquité*, II, 72.

Polybii, II, 112, et VI, 56.

Ovidii, *Fast.*, IV, 747.

Aristophanis, *Pax*, 277.

Stobaei *Florilegium*, CXX, 8.

Clem. Alexandrini *Stromata*, V, XIV, 172, et VII, 844, éd. Migne; *Anecdota*, éd. Boissonnade, I, 125.

(Cetera in ipso opusculo memorabuntur amplius.)

# DE
# VIRGILII PHILOSOPHIA

---

## PROOEMIUM

Etsi neque cum Aeschylo, neque cum Lucretio, Virgilius, quod ad ingenii flammam et vim spectat, contendere inter poetas potest, arte tamen mira et propria, necnon summo mentis acumine, temporis sui curas effingit et coagmentat.

Illam nimirum, si dicere licet, poetarum speciem in seipso complecti videtur, et praebere genus istud, quod saeculi illius, in quo floruerunt, cogitata, tum de humanis, tum praesertim de superis rebus, fideliter servare valet. Adde quod Maroni praecipue « mens illa divinior », sicut ipsius sodalis mire cecinit, natura concessa fuerit, quae vitam hominum ac mentis humanae somnia motusque et desideria effingeret, et ingenio adaugeret.

Ita nimirum, ut futuri temporis homines usque mores suos in poetae hujusmodi carminibus libenter recognoscerent : haud etenim tam celeriter et penitus commutatur genus nostrum, ut praeteriti aevi imaginem in praesentibus saeculis repudiare jure velit. Praecipue quum, ut Taciti sententiam usurpemus, « sint mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes » [1].

Qui, praeterea, ante ceteros omnes arte valuerunt, potius quam vi et ardore, illi temporis sui animos melius effinxere poetae. Quapropter quae sit Virgilii philosophia, quid etiam eum impulerit ut operibus suis eam misceret, non bene intelligere valet, nisi qui et Romae statum et Romanorum studia cognoverit. De iis enim rebus scripsisse videtur poeta, quae liberales primum, necnon humiles deinde mentes ante omnia moverunt; natura videlicet ipsa carminum perspicimus, quinam fuerint homines illi, quibus congruebat hujuscemodi poeta, dum, sueta quadam vice, operis, ut ita dicam, originem, et libri divinioris principium, apertius animadvertere interea nobis conceditur.

1. *Annal.*, I, 28.

# I

## DE ROMANORUM, VIRGILII TEMPORE, ERGA PHILOSOPHIAM INDOLE ET SENTENTIIS

« Haud facile commentari Romanorum ingenium, nec multum, sicuti videtur, curavisse ut caliginem discuteret quae mundi origines, atque generis humani, occaecat, neque ut vitae futurae imaginem quamlibet unam sibimetipsi fingeret », recte affirmavisse videtur peritissimus rerum antiquarum in nostris temporibus scriptor atque judex [1].

Paulatim tamen, transeuntibus annis, interciderat illa, quae Romanis omnibus in primo aevo communis fuisse videtur, incuria; necnon etiam philosophiae studium, faventibus rebus publicis,

1. E. Havet, *Le Christianisme et ses origines : l'hellénisme*, II, 57.

ex acutissimis et cultissimis ingeniis usque ad turbam popularem sensim transierat. Quamvis religionum ritus eadem semper diligentia observarent, in verbis antea praescriptis et veterioribus sacramentis pacem mentis irrequietae minus invenire valebant; nascentibus nempe iis curis, quae antehac incognitae fuerant, sollicitudinem novam et timores insolitos jam concipiebant.

Quem videlicet nobis Ennius pinxit, robusta mente, et media, et sedata, civis Romanus [1], is profecto posteros suos vix agnovisset, si quis praeteriti temporis vir inter adulteratam turbam rursus surrexisset, quae, principe Augusto, Romam frequentabat ac replebat. Extremis enim dirutae Reipublicae temporibus, Graeciae devictae mores et sententiae subrepserant, nutantibusque secundum celerrimos ingentesque motus omnibus Reipublicae fundamentis, perculsam simul mentem suam ac perturbatos animos sentiebant hujus

1. Ap. GELL., XII, 4. « Descriptum definitumque est a Q. Ennio... viri nobilis, quo ingenio, qua comitate, qua modestia, qua fide, qua linguae parsimonia, qua loquendi opportunitate, quanta rerum antiquarum morumque veterum ac novorum scientia quantaque servandi tuendique secreti religione... Eos ego versus non minus frequenti assiduoque memoratu dignos puto quam philosophorum de officiis decreta. » (Ed. Teubner, p. 59, 60.)

temporis homines : utqui latius quidem, non vero laetius vel apertius oculos producerent.

Ubique enim, circa fines imperii, frementes audiebantur minacissimae ac fere indomitae gentes; pacem nimirum, post tot et tanta bella vix partam, aegerrime perstare, magni constare, nec vere animos placare omnes intelligebant; si quidem Romanos « regere imperio terras » Virgilius jure affirmabat, semetipsos regere minus valebant isti terrarum orbis imperatores.

Male vivitur et irrequiete, temporibus illis, quae post magnas Reipublicae clades succedunt; praesertim quum ea fide eoque pondere careat gens nova, quibus firmiores fiunt animi, nec valde cognoscat quo mentis suae vires atque nisus tendere et coercere debeat.

Omnes eo tempore homines curaverunt quae mundi origo esset, quid de conditione animarum, post mortem, sentiendum; quod profecto manifestum etiam nobis faciunt plurimae, quas tunc invenimus, de rebus istis disputationes et infitiationes [1]; necnon eorum scripta qui incuriam

1. Cf. FRIEDLAENDER, *Sittengesch. Rom's*, tr. Vogel, IV, ad fin., p. 445 sqq.

vitae praedicant, omissisque ceteris studiis, ad bene et grate vivendum adhortantur; nonenim tam acriter immoratur sententiae suae, tam acerbe invehitur adversus alios neque se certum adeo ostentat, nisi qui intimam mentem minus securam sentit atque firmam, easque curas eamque ipsam sollicitudinem in seipso occultas habet, quas a se contemni tanto studio simulat.

Epicureorum doctrina, quae apud omnes eo tempore maxime vulgata fuisse videtur, propter miram apud homines vim ac potentiam, latinum sermonem philosophiae sententiis tum primum assuefecerat. Etenim, post Amafinium illum quem tot alii deinde imitati ac secuti erant, ea doctrina quae mentis pacem ac securitatem praedicabat ab illo ipso poeta expressa fuerat, qui ingenii ardorem atque irrequietum animum maxime ostendebat. Lucretius vero hoc ipsum praeclamaverat modo, quod juxta eum permulti in se sensisse atque gessisse videntur, quum Epicuri doctrinam sedulitate tanta praedicabat : quae, ut inter omnes aditu facillima, sententiisque firmissima, minima quidem scientia, omnes tamen quaestiones, resolvebat; quibus prorsus virtutibus,

simulque vitiis, aptissima erat quae divulgaretur, ac certissime regnaret, quippe quae homines alliceret, liberioresque faceret, omniaque, non penitus quidem, sed auctoritate magna, attingeret.

Relligio etiam erga materiem, et humillima profecto, saepissime iis monumentis ostenditur, quae ad nos usque a temporibus illis perstiterunt; ea autem ipsa divinarum rerum incuria, quae apud leviores vel infirmiores animos oriebatur, si quidem frequentior erat, non tamen ab omnibus, vel etiam a plurimis, accepta fuit. Rarior enim etiam eo tempore erat qui omnia negare seu praesentis vitae breviores tantum voluptates amplecti vellet[1].

Sicut evenire solet, perturbatae nuper Republicae casus, et incertiora tempora, animos ita commoverant, ut divinarum rerum interpretationes et certior futurae vitae doctrina magno studio quaererentur. Desperantibus enim, vel tantum fluctuantibus animis, ad relligionem, seu potius ad relligiones ii reducebantur, quos spei atque oboris proprii inopia exagitabat; ut qui, neque

1. Havet, op. cit., p. 453.

sibimetipsis eas, quibus indigebant, sententias, fingere, neque, deficientibus iisdem, quiete aevum degere, valerent.

Qui nimirum scriptos, eo tempore, libros recognoscit, manifestum sibi facit homines tunc maxime superstitionibus indulsisse. Ultimis videlicet Reipublicae priscae temporibus, M. Terentius Varro, T. Lucretius Carus antiquas relligiones penitus aggressi atque perscrutati erant[1] : quae tamen semper valebant atque permanebant. Nonne enim videmus Tullium, quamvis talium superstitionum nexibus minime ipse implicaretur, in orationibus tamen suis illas Inferorum imagines, studiose praebere, iisque μυθοῖς libentissime uti, quos alio loco, « aniles ineptias » appellabat[2]? Dum ipse, in hoc libro quem Somnium Scipionis nominavit, de vita futura amplissime disserebat.

Ut vero philosophiam ipsam omittamus, cui homines lectissimi praecipue studebant, humiliores quoque atque piae mentis cives maxima tum gaudia

1. Cf. Aug., *De Civ. Dei*, VI, 9; — Cic., *Acad.*, II, 38; *De Offic.*, II, 3; *Pro Roscio*, 24; *Pro Cluentio*, 61; *De nat. deor.*, II, 2; III, 4; I, 22; *Tuscul. quaest.*, I, 6; — Lucr., III, 991; VI, 85, 280.

2. *De divin.*, II, LXXII, et *Tusc. quaest.*, I.

concepisse videmus, eo quod relligionem magis magisque valere existimarent, auctoritatemque ejus in dies adaugeri [1].

Quanquam enim propagatae etiam inter plebem fuerant Epicuri sententiae, non tamen omnino curas et metus deleverant, quibus vel cultissimae mentis homines apud Romanos, mira semper pertinacia adhaesisse videntur [2]. Etenim et Cn. Pompejus et Tullii ipsius frater Quintus, ut Catonem praetereamus, necnon aliquandiu Varronem ipsum, instante Dyrrachii praelio, relligionum minas et curas accipiebant [3]. Adeo infirmis radicibus innitebatur ea, quae Romanos paulisper incredulos faciebat, sententia [4].

Adde quod eo praesertim, quo scripsit Maro, tempore, omnibus rebus ad fictas vitae futurae doctrinas et imagines atque ad pia mendacia, provehi viderentur animi : crescentibus mentis terroribus, et necessaria spe, increbrescentibusque ad firmiorem undique statum ardoribus et studiis.

1. Cic., *Catil.*, III. — *Pro domo sua*, II; *De divin.*, I, 28; II, 66.

2. Cic., *Tusc. quaest.*, IV, 3-7; *De finibus*, I, 7. — Zeller, *Philos. der Griechen*, III$^{r}$ Bd, 348$^{te}$-353$^{te}$ Seite u. folg.

3. Cic., *De divin.*, I, 32, 52; II, 24.

4. Lucr., III, 48.

Ipse praesertim Augustus Caesar, utqui, propter illiberalem animum, ad superstitionem maxime proclivis esset, mire perspexerat « Inferorum, quamvis fictae essent, fabulas, maxima efficacitate hoc efficere, ut metum erga superos atque inter homines justitiam servarent »; nec vim ac potentiam tantam omiserat, ut homines certius regere posset.

Cui nimirum principi illud contigit, ut poetam inveniret cujus, ad efficiendum maximi momenti opus, et virtus et natura aptissimae essent; ipso enim ingenio Virgilius pronus erat, simulque temporis sui curis et principis quoque studio incitatus fuisse videtur, ut carminibus suis plurimas de origine mundi et de animarum sorte sententias magis magisque misceret.

Aetatis enim istius philosophia cum disparibus omnino, sicuti nobis videretur, ac fere etiam inter se dissentientibus sententiis, facillime jungebatur. Utpote quae propter nimiam et immaturam audaciam, altissimas cogitationes cum erroribus manifestis saepe confunderet. Quamvis, favente Alexandrinorum doctrina, maxime scientiae increvissent, nullo tamen modo apud vulgares animos

permeabant; ipsa ceterum studendi et investigandi ratione adeo imperfectae et dubiae, ut mole qualibet una stare et cohaerere non valerent, nec, praesertim, intelligi facile possent. Ea nempe mundi et terrarum orbis imagine tam fictitia occaecabantur, quae in christiana usque tempora diutissime praevaluit.

Imo maxime philosophia, ut quae rebus multis, et iis praecipue quibus studebant homines antiqui, relligionem attingeret, fines ideo incertos in plurimorum mentibus occupavisse videtur. Quum omnes aliunde illam curarent, siculi poetarum carminibus etiamnunc nobis patet. Horatius enim, mores et morum doctrinam ubique tractans, tamen, in iis quas ad amicum, commendationis cujusdam causa, litteris scribit, scientias breviter agitat et philosophiam illarum, quibus sodalis sui mentem adhiberi valde laudat [1]; illud quoque consilium se habere praedicat Propertius [2], ut « defuncta amorum aetate », naturae leges perscrutetur; ipse etiam Ovidius, inter eas, quas, acutissimo ingenio, restituit et nonnunquam fucat,

1. *Epist.*, I, XII, 16, sqq.
2. IV, VII, etc.

fabulas, Pythagorae doctrinam clarissime illustravit[1].

Multis igitur modis variisque formis vulgata erat, atque sub plurima specie, inter omnes civium ordines, valebat philosophia. Propter magnam cum relligionibus similitudinem potentissima erat Pythagorae doctrina, ipsamque Epicuri apud nonnullos vincebat; quod quidem reipsa ob easdem causas factum fuisse videtur : non enim tanta vi, qua Epicuri discipuli utebantur, relligiones spernit aliquis ac rejicit, nisi eas male adhuc, et imagine falsa, potius quam revera, contemnit ac deposuit.

Aegre ceterum perspicias quantum haec vel illa doctrina, vel alia quaelibet, in omnium fide valuerit; raro enim unam et unicam doctrinam accipiebat aliquis, nec praecipue integram atque veram cognoscebat. Variarum enim scholarum labore et commentariis adulteratae, saepissimeque ab iis hominibus inter se commixtae erant Graecorum doctrinae, quibus logica et recta disserendi via minime usitata erat; ita ut Romanorum men-

1. *Metam.*, XV, 42, sqq., *Virgilii Georg.*, II, 475, sqq.

tibus permixta et minus cohaerentia elementa ministrarent, e quibus miram saepius colluvionem ipsi fingebant.

Quod profecto nobis erit manifestius, sensimque apparebit, magis magisque studium adhibentibus ad intelligendum qua ratione Virgilius ea, quam in scholis collegit, doctrina usus sit, quo philosophia ejus modo, donec in operibus majorem locum occupaverit, secum ipsa congruere tentaverit, quamvis minus minusque firma ac certa facta sit; quae videlicet omnia nos intelligere facilius faciet simul status ipse quem in iisdem temporibus scientiae affectabant modusque ipse quo eas poeta, ingenii proprii dote et vi, intelligebat atque interpretabatur.

Quanquam res ipsas, ac certam vivendi et agendi rationem praecipue spectabat Romanorum ingenium, propriaque natura minime provectum erat ad cogitationes altas, ad easque fictiones quae ipsam mundi originem complecterentur, ubique tamen, in iis quidem quibus non omnino abest philosophiae cura, operibus, latinos scriptores naturam rerum curare atque illi studere perspicimus.

Haud nimirum adhuc, fictitio quodam discidio, siculi postea accidit, homines semetipsos natura sejungebant. Apud antiquos enim scriptores ea, quam graeco nomine vocamus, κοσμολογία, in philosophi cujuslibet doctrina maximum locum occupat, ut quae moros ipses antecedat, et moralem philosophiae partem praeparare videatur. Antiquorum vero hominum mentes, ut ad inspiciendas secretiores mundi partes audacissimae et proclives, ita imperfecta ratione et pravis instrumentis studia peragebant; quum, praeterea, parcius pateret spatium in quo infirma illa studia sese explicare possent; somnia videlicet potiusquam res ipsas agitabant, nulla vere cogitandi via utentes, ut, inter clarissimas ingenii luces, quae apud graecos philosophos saepe apparent, densissimis errorum tenebris frequentius offendamur et evagantis animi digressionibus. Decrescente Graecia et degenerante, dispersisque philosophorum scholis, promiscue atque discrimine paucissimo varias illorum doctrinas Romani susceperant. A Lucretio enim ad Senecam, a Cicerone ad Plinium, carmina maxima, summi momenti investigationes, immensamque rerum summam et acutissimo

ingenio condita opera, apud quae doctrina abundantissime praecellit, superstitionibus vanaque fabularum farragine corrumpi videmus.

Quamvis Lucretius, propter miram ingenii vim, et quia mens ejus a relligione maxime abhorruit, ad ejusmodi somnia maxime pronus fuisse videatur, Epicuri tamen doctrina, quod ad physica spectat penitus atque ab initio vitiata, adeo imbutus erat, ut in ipso rerum principio ea carmina corrumperentur quibus mundi originem explicuit : Lucretius autem Virgilio ingenium et doctrinam ante omnes ministravisse ac quasi effinxisse videtur.

Mediolani videlicet et Neapoli, Virgilius ea studia cognoverat, quae ingenium vehementer excitarent [1]; una enim cum Vario, Sironis istius Epicurei doctrinam secutus erat, qui familiari cum Cicerone contubernio vixerat : verisimile igitur est nonnulla celeberrimi oratoris scripta, quae de philosophia composuit, illi nota fuisse. Praecipuum prorsus in poetae cogitationibus locum usque usurpavit philosophia : hoc enim, quod de Virgilii

1. Donat., *Vita Verg.*, II. — Cic., *De finibus*, II, 35; *Ad famil.*, VI, 11, 2; *Acad.*, II. — Donat., ibid., XIII.

vita scriptum fuit, opusculo, ut fabulis stultissimis referto, ita et pretiosissima documenta praebenti, didicimus Virgilium illud in mente agitasse, eo ipso tempore quo mors illum abripuit, ut Graeciam et Asiam peteret, ubi Aeneidem trium annorum spatio perpoliret, reliquamque posthac vitam philosophiae studiis impenderet.

Omnibus suae indolis propensionibus ad gravissima ejusmodi studia Virgilius proclivis erat : verecundo videlicet ac tristiori animo, solitudinis erat curiosus, simplicemque ruris vitam captabat, atque in semota rerum contemplatione aevum degere cupiebat : in ejus nimirum ingenio rerum natura quam potissime effingebatur.

Ipsae vero philosophiae doctrinae, quanquam illa aetate fictionibus miscebantur et verae scientiae speciem atque habitum parum affectabant, mentem tamen Virgilii, egregiam magis quam robustam, suavemque ac, si dicere licet, fere timidum poetam aliquando expavefecisse videntur ; quippe qui cogitationibus et sententiis iisdem perculsus esset, quae Lucretii ingenium ardore tanto inflammabant.

Intimius tamen et clarius sensisse videtur Vir-

gilius spem et quietem necessariam esse hominibus, quam ut obscurarum rerum caliginem discutere non tentaret, anxiorumque animorum sollicitudinem placare. Miram quidem Lucretii vim, acerbioremque affirmandi rationem nullo modo Virgilius usurpavit; carminibus vero suis eam primum mundi imaginem interponit, cujus lineas omni fere parte ex aliorum operibus imitatus est, grandioremque deinde locum ad effingendam rerum imaginem consecravit, ubi « mens divinior », et caelestior ignis quasi apparere videtur; donec in summo ac praecipuo maximi operis, et perfectissimi, cantu, easdem denique rursus quaestiones tractet quae dubios semper et anxios animos fecerunt, futurarum videlicet rerum seriem et quae sors futura sit animarum, postquam vita intercidit.

Propriis scilicet studiis non minus quam communibus omnium hominum curis et ipsa antiqui ingenii natura impulsus erat Virgilius, quum mediam inter fabulas et philosophiam usurpabat doctrinam : ipsius quidem ac merae, ut ita dicam, philosophiae, nunquam strictus observator. Ubi enim Aeneam apud Inferos descendentem pin-

gebat, non jam Epicuri vel Stoïcorum praeceptis ac sententiis utebatur, plurimis vero Graecorum doctrinis cogitationes illas intermixtas invenerat, quae dubii saeculi homines maxime juvarent.

Tribus enim vicibus, si dicere licet, eae sententiae dividi posse videntur, quas de philosophiae rebus nobis Virgilius praebet. Primum enim, quanquam talia semper studia secutus est, ea tantum attrectare videtur, ac praelibare, dum prioris aevi scriptores, non sine fabularum immixtione et relligionum imaginibus, imitatur; quae deinde eadem, quamvis in carmine poetae semper minorem locum occupent, latius tamen, quod ad ingenium spectat, et certius, validiorique spiritu expanduntur in Georgicis; ut maxime valeant, apertiusque et varius explicentur, majorique honore et excellentia praeluceant, partemque gravissimam habeant in perfectissimo magni poematis loco. Quare, studentibus unamquamque carminum partem, manifestius apparebit qua ratione increverint apud Virgilium philosophicae sententiae, quoque modo cum Romani ingenii studiis magis magisque consenserint.

## II

### DE SEXTAE ECLOGAE CARMINE

Ea, quae Sileni cantum inaugurant, atque inchoant, carmina, Epicuri doctrina potissimum conflavit. Juvenili enim tunc studio Virgilius ardebat, vulgatissimisque Epicuri sententiis erat imbutus, ipsosque eos qui doctrinae, apud magistros in scholis quondam praegustatae, jamdiu obliti erant, sua tamen carmina favore magno accepturos esse sciebat, ut brevia, ut lucida, facillimeque omnibus intelligenda. Adde quod ab ipso auctore, a quo verba philosophiae et scribendi rationem mutuatus erat, eo impelleretur ut Epicuri libentissime doctrinam sequeretur. Multa enim verba, praeter ipsam rerum speciem, a Lucretio accepit. In primis jam philosophiae lineamentis,

quae ante longam fabularum seriem describebat, eadem ratione utitur, et quidem temporis illius hominibus gratissima, qua semper, « ut causas rerum cognoscere » valeat, altissimas cogitationes cum humilioribus carminibus miscuit.

Epicuri videlicet doctrinam in hoc carmine sequitur, quod magnum in Bucolicis locum occupat; ut ipsum illud decuit, quod « *non injussus* » cecinit [1]. Sententias Epicuri, si grammaticorum commentariis fidem adhibere licet, libentissime accipiebat et effingebat, sua ipsius institutione non minus quam Lucretii exemplo incitatus; fere enim omnino a Lucretio verba, quibus in isto carmine usus est, et carminum forma ac species, apud Virgilium procedere videntur [2]. Quum ceterum, quoad res ipsas scrutari libet, Virgilium animadvertamus a graeco poeta, ab orphico nimirum Onomacrito [3], versus suos esse imitatum;

1. *Ecl.*, VI, 9.
2. Cf. Lucr., I, 1018 : « magnum per inane »; 714 : « omnia rentur — Exigui, terra atque anima procedere et imbri »; et V, 443; VI, 206.
3. Atheniensi 520-485 ante J.-C. qui prisca oracula collegit, atque ab Hipparcho in exsilium missus est, quia Musaei oraculum interpolaverat. — *Argonaut.*, I, V, 496 sqq. — Cf. *Argonaut.* Orph., V, 417 sqq.

quos quidem saepius cum cantu illo collatos esse novimus, quem Orpheo praebuit Apollonius Rhodianus. Quamvis tamen non liceat negare Maronem e duobus Argonauticorum carminibus unum coagmentavisse, ex iis scilicet quae Atheniensis poeta et illis quae scripserat Alexandrinus, videtur profecto apud eum Onomacritus in hoc loco praevaluisse.

Quae aliunde Epicuri sententiis minime consentanea est, illa sententia nimirum quae Amorem, Ἔρωτα, in mundi originibus partem maximam habuisse praedicat, ea, quanquam ab Onomacrito accepta est, a Virgilio omittitur; qui rursus alteram illam neglexit, quam omiserat Apollonius, scilicet mundum ex elementorum contentione ortum esse; praecipua quidem in Empedocle, qui νεῖκος illud effingebat, unde dei sphaeri viscera primum agitata fuissent [1].

Nihil prorsus cum Epicureanis sententiis melius congruebat, quam versus illi qui apud Virgilium antecedunt. Si quidem Montano nostro fidere licet, scribenti « ingenuam ignorantiam cum perfectiori

1. Fragm., V, 180.

scientia in veritate saepius convenire », animadvertendum est Virgilium in hoc certe loco, sicuti in plurimis quoque aliis, propter propriam ingenii lucem et popularium fabularum experientiam, integram quasi fabulam et prioris ingenii formam rursus invenisse.

Haud etenim Silenus in Bucolicis ea maestitia deplorantis oraculi eloquitur, qua vatem suum Aristoteles vaticinare fingebat, quasi Phaedonis verba usurpare tentaret, « hominem scilicet hoc praecipue bonum habere, ut nunquam nasceretur, illud deinde, modo natus esset, ut interiret celeriter » [1].

Esse profecto Silenus videtur « phrygius vates, undarum genius atque augur rei futurae » [2]; verus quoque ille Silenus est, quem apud Graecos agnovimus, non quidem vappa iste quem post se corruptior Bacchus trahebat, suavis vero ille et ingeniosus cantor vatesque dulcissimus quem nobis pulchrae Graecorum fabulae depinxerunt.

Virgilius praesertim ab Alexandrinis poetis, quibus magno studio indulgebat, hanc in fingendo

1. Cf. Plutarch., *Consol. ad Apollonium*, 115.
2. Cf. Decharme, *Mythol. de la Grèce antique*, p. 448.

et effingendo venustatem, eamque in minimis rebus curam accuratiorem didicit, quibus apud Theocritum tantopere oblectamur. Quumque Nymphas atque Faunos, naturam et animantia, carminibus divini vatis arrecta versusque quodam modo numerose recinentia describit [1], aetatis, in qua scribebat, homines, eos fuisse novimus, qui relligionibus adeo essent subjecti, ut in tali cantu minus fictionem agnoscerent quam rerum illarum imaginem quae, ut opinabantur, in ejusdem ruris campis Virgilio occurrere potuerant, ubi eum saepe meditatio juvabat [2].

Maroni nempe gratum fuisse videtur, ut heroas vel vates atque augures produceret, de philosophia canentes; Dido enim, in hoc quo Aenean admittit, convivio, vatem « crinitum » [3] inducit, ea ipsa fere recinentem quae jam in Ecloga leguntur, gravioresque Homericorum temporum concentus cum convivarum gaudio miscentem. Dixit quidam [4]

1. « Coepta moveri. »

2. « Saepe Faunorum voces exauditae, saepe *visae formae* deorum. » Cic., *De nat. deor.*, II, 2, 6.

3. *Aeneid.*, I, 740.

4. Cf. Conington, ad 477m versum l. IIi *Georg.*, ed. in 8, t. I, p. 258.

hanc sentiendi rationem cum Romanorum animis minime consentire, quales, regnante Augusto, exstitisse videntur; Romanos vero tali doctrina, tamque mixta relligionibus atque fictitia, non adeo abhorruisse manifestum est, fabularumque auctoritatem apud eos nullo modo fuisse exstinctam[1]. Ipse enim Lucretius, et recentissimus quidem, propter ingenii impetum et ardorem, vatibus iis simillimus fuerat, quorum flamma in antiquioribus saeculis tam vivide tamque fervide lucebat.

Quod si carmina unaquaeque singulatim perlegere libet, ubique profecto sentimus Lucretium, cujus famam tunc temporis in dies auctam fuisse accepimus, Virgilii mentem praecipue occupavisse. Epicureanus quidem poeta praedixerat « semina terrarum » [2] fuisse aeterna; unde quatuor illa elementa orta essent, quae postea ab ipso Virgilio enumerata fuere : e « seminibus terrarum » vicissim, ex iis nimirum quae a Virgilio fere neglecta sunt, elementis, et iis quoque *atomis* inter se con-

1. Ovid. *Fast.*, IV, 727 : « Certe ego transilui positas ter in ordine flammas, Udaque roratas laurea misit aquas. — Mota dea est, operique favet » (P. 289, ed. Teubner); et Lucr., IV, 582.

2. Lucr., I, 715.

gregatis, moles coactae fuerant[1], quibus « aggregatorum » nomen imponebatur.

Iniqua profecto ratione uteretur, si quis suaves et acuto ingenio fictas imagines, ac fere curiosas, quibus Virgilius rerum originem depingebat, quoque modo animalia terram eam invasissent, expertem adhuc eorum, cum miro atque praepollenti Lucretii carmine conferret. Eumdem enim eum Virgilium, etiam a primis istis, et crudioribus, operibus, agnoscimus, quem in ceteris carminibus permansisse sentimus, ubi philosophiam attrectavit ; mira scilicet arte potius quam inventione magna, suaviorique ingenio quam validiori. Qui, quum adhuc fere esset adolescens, propria mentis indole studiisque Romanorum ad id praesertim incitatus erat, ut facilem ad res explicandas viam sequeretur, naturaeque origines apertius expanderet, eas libentissime affectans sententias, quarum formam atque verba apud clarissimum poetam usurpare ei licebat ; non illarum adhuc studiosus, quas, ut magis absconditas et momenti multo majoris, in Georgicis praelibavit, atque in Aeneide tractavit et excussit.

1. Vid. Lucr., I, 54, et *Ecl.*, VI, 34.

Animadvertendum est etiam, — donec Silenum illum habemus, musicum nempe, vatem, undarumque genium — eaque ipsa causa et natura sapientiorem et augurandi peritiorem, dumque videmus qua illum ratione Virgilius induxerit, — poetam ad antiquorum sententias revectum esse, quas etiam in primis de Aristaeo carminibus expressit, eademque sensisse et cecinisse, quae Graeci scripserant prius, de motu et origine aquarum, emanantium e terra, in cujus gremio primae mundi origines, legesque universae, et futurarum rerum scientia reconderentur.

Aristaeus enim pastor, ubi delubra haec subterranea ingreditur, ubi fluviorum motibus attonitus primum haeret, flumina omnia sub magna terra labentia conspicit, eadem prorsus quorum flexus lentos tanto studio tantaque voluptate Virgilius inter campos sequebatur[1]. Haec vero ipsa carmina, forsan ab Alexandrino quodam poeta desumpta, non eadem in Bucolicis, qua mox jam in Georgicis, vi ac virtute doctrinae valent atque exornata sunt.

1. Cf. SAINTE-BEUVE, *Etude sur Virgile*, p. 44 sqq.

# III

## DE GEORGICORUM, APUD QUARTUM LIBRUM, CARMINE

Non jam eamdem, quam in Bucolicis, gracilitatem ac siccitatem affectant eae quas Virgilius in Georgicis de philosophia expressit, sententiae. Nec tamen tam elatae atque explicatae videntur quam in Aeneide postea erunt. Quamvis omnis fere doctrina, quantum certe ad naturae scientiam ac philosophiam spectat, in iis collecta sit, qualis in praecipuo opere a poeta demum explicabitur. Haud enim gravior Epicureorum de fabricato mundo sententia, humiliorque de rerum principio explanatio Virgilio satis esse poterat. Utpote cui universalis rerum vita ac totius naturae sensus mire appareret, necnon, propter dubium modestumque ingenii habitum atque incessum, iis sententiis

proclivior esset, quae vitam atque naturam rerum vi atque flamma majori expanderent, latiusque ante hominum oculos coelum evolverent. Eam ipsam, qua Lucretius feroci quasi voluptate incendebatur, Epicureorum scientiam, propter egestatem et inopiam, reformidavisse videtur atque fugisse Virgilius. Florebat eo tempore atque cum Epicureorum doctrina contendebat ratio altera cogitandi; quam Stoïci propagabant; quae quidem, ut jam vulgata [1], proximis temporibus magis magisque increbuit. Erat ea occulto quodam in natura, atque in vita rerum, deo, fundata atque innixa, atque mole una et specie sua, quasi coagmentata et cohaerenti, tres doctrinas inter se miscuerat quas potissimum effinxerat Graecorum philosophia. Ab Heraclito nimirum, Empedocle et Anaxagora, maximis videlicet ac summae auctoritatis scriptoribus, Zenonis de deo et natura sententiae effluxerant.

Nec profecto mirum erat doctrinam eam Virgilio placuisse, quae naturam totam mente divina agitari fingebat, ex qua universa vitae principia

1. Vid. ZELLER, *Vorträge u. Abhandlungen*, 2te Sammlung, S. 116.

expanderentur; « mundum animo praeditum esse, et sapientia, utpote qui et animantia producat et sapientes », affirmaverat magister [1].

Virgilius, sicuti planum amplius faciemus, ut doctrinam ad regendos vitae mores verteret, minime curavit; nec magis demonstrare tentabat quo pacto cogitantis, et sentientis, et agentis animi fontes ac primordia ex universae naturae legibus exoriantur. Ut qui solum illud cordi habeat, quo videlicet pacto anima e materia exoriatur, quaque ratione ad materiem redeat, orbe peracto.

Nulla prorsus apud eum parte, nullo loco eam hominis cum natura conjunctionem explicari animadvertimus, quam Marcus posthac Aurelius, ut clarissimo nomine utamur, tanta magnificentia celebrabit. Nec ceterum, ubi Inferos effingere tentabit, poenas vel proemia, meritaque, bona vel prava vivendi ratione, mala aut gaudia, enarrare curabit Virgilius.

Ad eam quidem philosophandi rationem regredi poeta videtur, quae ante Pythagoram ipsum retrocedit et Orphicos, quippe qui mores jam et morum

1. Zenon, ap. CICER., *De nat. deor.*, II, 8.

doctrinam tractavisse videantur; quum etiam apud Virgilium in Aeneide tantum, in ultimo videlicet opere, mens universa rerum, totiusque ordinis causa paululum appareat [1].

Ibi vero, vitalis tantum anima, principiumque illud quod in sexto Aeneidos libro « spiritus » nomine appellavit, sicut totius mundi causa atque origo proditur. Haud profecto mirum erat eam doctrinam, qua mundus velut « animans » quoddam effingitur, sententiasque illas quibus res omnes sicut infinitae viventisque rei partes praebentur, magnum istud de rure carmen concludere, in quo Naturae vires atque laudes praecellunt, ubi locum tantum animalia obtinent, atque librum praecipue quartum hunc, qui divinioribus bestiolis consecratus erat, a quibus nutritum fuisse Jovem in fabulis memoratur [2]. Quum Virgilius enarrabat apes « divinae particulam aurae » in se habere, non iis quidem, et perfectioris speciei animantibus « aethereum flamen » terminare contendebat; quamvis ante illius oculos esset, dum scribebat

1. « Mens. » Quod etiam a quibusdam negatum est. Cf. J. Darmesteter, *Les cosmogonies aryennes* (*Rev. philos.*, 1881, p. 482, not. 4).

2. Columellae « Jovis extitisse nutrices , » IX, 2.

Georgica, cum Arato simul Aristoteles, non tamen librum qui « de Generatione animalium » a philosopho inscriptus fuit, praesentem interea habebat poeta.

Scripserat Aristoteles « vespas et fucos in se non ferre nescio quam diviniorem animam, sicuti eam apium natura praebere videtur » [1]. Quae quidem sententia cum πανθεΐσμῳ minime consentiebat. Multo praesentior et acceptior erat Virgilio Aratus, utpote qui « plenas Jove vias omnes, atque forum, et mare, undasque omnes », dixisset [2]. Jove nempe illo universo, anima mundi, infinitoque, qui « natura naturans », ut recentiori verbo utamur, jure appellari potuisset, ea « divinae particula aurae » [3] exoritur, igniculusque ille qui omnes animantes vario modo inspirat; quae quidem et Virgilii doctrina fuisse videtur. Nonnullis etiam versibus, quos in quarto Georgicorum libro invenimus [4], quibusque, sicuti multo posterius Cartesii nostri mos erit, animantes mente quadam praeditas esse negat poeta, amplius apparet Virgilium

1. *De Gener.*, III, 10.
2. *Phaenom.* V, I,
3. HORAT.
4. IV, 415 : « *Haud equidem credo* », etc.

in hoc loco cum Aristotele dissentire; quanquam ea ipsa, quam affirmavit, doctrina, cum iis sententiis haud aegre congruit, quibus mundum divina vita praeditum esse fingitur.

Corvi enim, si poetae credimus, eadem illa anima praediti sunt, qua et omnes quoque mundi partes, cunctaeque ex eo efflatae particulae : ut nihil apud eos divinius, nulla peculiariter sapientia inesse possit[1], quanquam vitae universae adhaerere atque inhaerere coguntur : non enim sine quodam doctrinae lapsu privilegium quasi admittere tales sententiae possunt. E natura nimirum universa, unica atque aeterna, animantes omnes, singulae videlicet formae, permultaeque, et variae, et transeuntes, vitam brevem ac temporalem usurpant[2].

Eas quidem sententias non eadem cura Virgilius, qua postea Seneca, perscrutatur. Nullam praesertim Providentiae cujusdam, vel etiam divinioris tantum suique ipsius consciae mentis fictionem admittit. Hoc videlicet cogitandi more, mini-

1. « *Rerum sapientia major.* »

2. Cf. Senec., *Quaest. nat.*, II, xlv : « Causa causarum... ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus... partibus suis inditus, et se sustinens et sua. » (Ed. Teubner, I, 204.)

maque Dei cura, Virgilius, apud quem tot dii, nunquam vero Deus unus, apparent, ipsam et vetustissimam Graecorum philosophiam antecedere videtur; ut antiquissima Indorum carmina memorare oporteat, si quis tantam vitae universae formulam tamque meram atque crudam, atque adeo absentem Deum, animadvertere velit. Virgilius igitur iis carminibus non omnino Stoicorum sententias secutus est.

Quod vero ad subtiliorem vitae ignem, privamque illam animam spectat quam animantes omnes ex universa natura mutuantur, vices profecto istius, quaque ratione oriatur et intereat, quo pacto, genita sèmel, in infinito demum dissolvi possit, non apertissime explicavit Virgilius, idque etiam tali modo fecit, ut nulli fere inter doctrinas omnes plane adhaereat quae futuram animae sortem tractaverant.

Pythagorici enim, non minus quam Stoïci, eas vindicare, atque cum Timaeo Plato, non secus ac cum Scipionis somnio, Tullius, jure quodam sibi eas asserere possent. Quanquam verbum quoddam, et fortuitum forsitan, licentiam praebere videtur ut Zenonem ac Stoïcos ibi ceteris

praecellere credamus. Ea nempe sententia, qua animae, ubi semel corporis vinculis liberatae sunt, ad universam animam redeunt, atque ad eum focum unde manaverant, Stoïcorum propria est; verbumque ipsum quo Virgilius utitur ad notandum qua illae ratione sejungantur aut redeant, atque e corpore ad naturam « resolvantur », doctrinae mire consonat quae compositas res morte segregari affirmabat; quod Stoicorum proprium fuit [1].

Certiorem ac firmiorem formam animae concedit poeta, postquam apud eum Platonis et Pythagorae sententiae praevalent: nec jam eam elementis assimilat, atque molis aggregatae partem tantum esse fingit; illius quippe « caecum carcerem » corpus esse sentit, divinioris scilicet atque captivae, quae morte denique liberetur; ibi autem cogitata, ut jam Epicuri sententiis celsiora et elatiora, meram tamen naturam modo spectant, mysticamque doctrinam minime tangunt quae posthac apud poetam nostrum partem maximam occupavit, locumque praepollentem.

1. Diog., *Vita Zenon.*, VII. 156, 157.

Si quidem Virgilius eam doctrinam explicare videtur quae a Zenone provenit, alteram hanc correctionem non memorat, qua Chrysippus priorem sententiam magistri coangustavit, et secundum quam animae sapientium forsan solae aliquandiu permanere possunt, antequam in universam atque unicam animam tandem demergantur, qua sorbentur ceterae omnes. Explanandum erit, quum sextum Aeneidos librum attingemus, quae sit et unde proveniat ultima, quam Virgilius de animarum sorte concepit, doctrina : verumenim intelligere jam nunc licet poetam, si quidem animas nullo modo concepit postea ut aeterna vita et peculiari praeditas atque pura, ubi, conscientia semper ornatae, corpore liberarentur, iisdem tamen quamdam personae formam dedisse, necnon nescio quam incertae vitae imaginem, iis, quibus studemus, versibus minime servatam.

Facilius tamen Georgicorum sententiae cum *somnio Scipionis*, ut exemplo utar, consentirent ; quod minime facere possent illae quam sextus Aeneidos liber expandit; hic enim Virgilius non scripsit animas unquam in corpus reverti ; eaedem vero, in Aeneide, lustrationibus expurgantur, ut

in corpora rursus revolent postquam totum laborum circulum absolverunt.

Virgilius cum Stoicorum physica, necnon cum Platone et antiquissimis Etruriae oraculis consentiebat, quum, in celeberrima permultisque contentionibus commentata Ecloga, magnum hunc annum praedicebat in quo saeculorum ordo ad integrum initium reverteretur [1]; ibi quidem, quum

> ... Volare
> Sideris in numerum, atque alto succedere coelo

omnia scripsit, atque animas praecipue, communem omnibus antiquorum temporum philosophis doctrinam exprimebat, et latioribus pulchrioribusque, sicut mos ejus est, verbis. Semper enim communi, ut ita dicam, ratione, sententias suas de hujuscemodi rebus pervulgavit, quod ceterum apud istius aetatis homines acceptissimum erat.

Talis enim cogitandi forma, ut incertior, ita versutior erat, aptiorque ad accipiendas multiformes illas sententias, quas in proprio animo inve-

1. Stob., *Ecl. phys.*, XII, 41, p. 342 sqq., ed. Teubner.

niebant homines, quasque in poetae carminibus maximo studio inquirebant. Iis etiam versibus sententiae difficillime ad certam doctrinam rediguntur; verbum enim quo poeta usus est, « *viva* » scribens, vitaque ista, permanens, atque immanens animae, minime indicat quibus ille adhuc eam virtutibus praeditam esse intelligat.

Apertum modo esse videtur, hoc etiam, Epicuri doctrinam omnino iis versibus abesse; Epicurei enim existimabant sidera materiem esse anima vacuam [1]. Incertum vero est utrum Pythagoras [2] an Plato [3] sententiam eam attulerit, vitam scilicet per sidera continuari; quam Virgilius post atque ante alios tot philosophos, versibus suis expandit. Vulgatissima enim tunc erat illa sententia; quae et apud Aristotelem [4] invenitur, cujus quidem scripta de philosophia minime vulgata erant [5]. Ionicorum doctrina, quam Anaxagoras et Epicurus susceperant, adversus talem cogitandi modum

1. Plut., *Adv. Colotem*, 1123.
2. Diog., VIII, 27.
3. Apol., 26.
4. *Metaph.*, XI, 8, p. 262 sqq. ; *Ethic.*, VI, vii. « Θεοίτ' εἰσιν καὶ περιέχει τὸ θεῖον τὴν ὅλην φύσιν. » Ed. Christ.
5. Cic., *Topica*, I.

acerrime invehebatur; quae vero minime apta erat ut mentes simul naturae viribus imbutas implere posset, atque ad hoc maxime pronas ut vitam futuram affirmarent [1]: ambae enim sentiendi rationes eo tempore simul praevalebant.

Quanquam enim dubiae sunt Virgilii cogitationes, tamen, si carmina omnia revolvimus, ut cum ceteris ultimum omnium connectamus, Stoicorum physica atque theologia ibi demum praepotentiam usurpare videntur; Zeno enim sidera δαίμονας esse scribit, ut intelligatur animas post mortem medium hunc locum tenere, inter inferiorem atque incertam corporis vitam, superamque atque aeternam vitam deorum. Non ceterum magis quam mundus ipse hujuscemodi δαίμονες exitium effugiebant, diesque futura erat qua Ζεῦς solus perstaret atque imperaret.

Non tales profecto atque singulas doctrinae partes scrutabatur Virgilius; ubi enim cogitatio quaedam menti ejus placuerat, sententiaque alliciebatur nova vel magna, iisdem indulgere minime dubitabat; fictionesque illae philosophorum felici

1. Cf. etiam Lucr., II, 991 sqq.; — Zeller, *Philos. der Gr.*, 1te Aufl., III, 1, 338.

sorte frui videntur, quas tam praeclari poetae conservant atque illustrant; praecipue quum eas, si quidem non omnino integras, tali tamen ratione effingunt ut minime adulteratae sint.

In hoc Georgicorum loco Stoicos Virgilius secutus esse videtur. Nullam certe in Aeneide doctrinam potissimum affectavit, vel etiam, si qua ibi praevalet, latius simul ac liberius poeta scripsit. Facile ceterum intelligitur quo pacto hanc scribendi rationem in componendo sexto libro secutus sit, quoque modo opus totum vastiorem cogitandi formam excitaverit, in qua non jam natura adeo antecellit, mysticae vero sententiae locum praecipuum occupant.

Breviter enim memorabit naturae partem, easque sententias quibus manifestum fit quo animantia modo cum anima universa coalescant; in Aeneide vero de vita futura canere potissimum studebit; quae cura, ut Ecloga sexta omnino absens, in duobus Georgicorum versibus vix delineata, sextum Aeneidos librum invadit; praepotentia ejus poetam eo impellit, ut, juxta fictos e fabulis Inferos, alteros quoque, et secundum philosophiae cogitata compositos effingat; quod ut

mentibus nostris, sicut somnia quaedam, barbarum atque alienum, cuilibet tamen antiquorum temporum philosophiae acceptum ac necessarium erat.

## IV

### DE AENEIDOS, APUD SEXTUM LIBRUM, CARMINE

Scripsit postea Seneca : « Animum premente corpore urgeri : in vinculis esse, nisi accessit philosophia, et illum respirare rerum naturae spectaculo jussit, et a terrenis dimisit ad divina » [1].

Secundum quidem istius philosophiae sententias, quae jam tum exoriebatur, et quae brevi tempore Romae adeo praevaluit, hoc hominis officium est, ut seipsum primo scrutetur, deinde ad studendum naturae transeat. Abest apud Virgilium omnino ea cura qua homines suae ipsorum menti attendunt, deque seipsis meditantur; regnat enim adhuc in carminibus illius antiquae aetatis Νέμεσις [2], culpamque effingit sicuti scelus erga superos. Hoc autem

1. *Ad Lucil. ep.*, LXV.
2. « Discite *justitiam.* »

sui ipsius studium, ab Horatio jam vulgatum, minime affectat.

Quae vero sit mundi origo, quae sors futura animarum, in ultimo tantum opere inquirit. Necesse erat alteram ambarum illarum quaestionum, eam nimirum quae ad animas spectat, maximum in Aeneide locum obtinere; haud enim modo cogitationes istae, quibus fatum animarum apud Inferos exprimit, decursum eum includunt quo Anchises posteros suos ac nepotes recensere videtur, sed praesertim aptissimo tempore apud Romanos prodebantur; hominum enim, eo tempore, curae ac studia simul, atque propria poetae indoles, haec de naturalibus una et mysticis rebus cogitata mire illi suadebant.

Ea enim, quae a Cicerone praesertim vulgata erat, et undique conflata, philosophia, quae quondam cultissimorum civium mores ac mentem ducebat, veterumque relligionum formae, ritus et fabulae, jam pariter obsoleverant atque imperio decreverant, tum apud lectos viros tum apud plebem atque apud istos qui, ut a plebe sejuncti, magnas tamen doctrinas et altiores non attingebant. Mente enim animoque aegrotare videbantur homines, ut

qui fide certiori indigerent, vel saltem, post tot et tam varios casus, latius de mundo et anima, ac firmius, cogitare cuperent.

Commoti enim ac perturbati cives mira jam cupiditate flagrabant ut quum priorem, tum futuram sortem cognoscere possent; Octavius Caesar, postquam religionem rursus cum principatu instauraverat, facile animadvertebat Virgilii carmina de futuris rebus relligionem adhuc spectare et attingere; quippe qui ipse philosophiae, si C. Suetonio credimus, libenter indulgeret, aliosque ad philosophandum saepius hortaretur [1]; memoravit Seneca Areum quemdam philosophum inter principis familiares exstitisse [2]. Ut posthac istiusmodi cogitationes ab aliis principibus evictae atque oppressae erunt, ita reipublicae vere gubernandae modum certius cognoverat Octavius, quam qui firmamentum illud, spei futurae, illis eriperet, quos pacare simul et roborare contendebat; irrequietos enim animos aegre gubernari sciebat, propterque eam ipsam rationem dolentes et quaerentes.

Nec ceterum domini metus excitare poterant

1. SUET., *August.*, 84-85.
2. SEN., *Consol. ad Marciam*, 4.

eae, quas Virgilius exponebat, sententiae; non enim ad animos validiores efficiendos valebant, vitamque futuram, quod ad philosophiam attinet, moestiorem effingebant. Quo quidem plane intelligitur antiquas relligiones hanc « futuri temporis curam »[1] in se minime habere, quae tanta vita atque vi Christianorum doctrinam imbuit.

Notavit aliquis[2] duas inferorum imagines conferri in sexto hoc, qui apud temporis istius homines adeo influxit, Aeneidos libro, duasque vitae futurae fictiones, nullo tamen modo pares vel aliqua ratione inter se similes. Fabularum enim Inferos, ubi Homerus cum antiquis figuris partem habet, atque ubi infantum animae, quas in Platone jam reperimus[3], ante januas deflent a triplici Cerbero servatas, Elysiorumque camporum descriptiones, ubi animae adeo corpoream formam retinent ut fere antiquissima poemata ibi agnoscamus, altera ea series sequitur, philosophicarum imaginum et mysticarum, quibus Anchisae sermo componitur.

1. E. Renan, *Joachim de Flore. Nouvelles ét. d'hist. religieuse.*
2. G. Boissier, *Rel. rom.*, I : *le 6e liv. de l'Énéide.*
3. *Timée*, p. 615 (ed Teubner).

Animadvertendum quoque est cogitationes in eo Aeneidos libro inscriptas mediam partem occupare inter priscas fictiones, duplicis cujusdam figurae, et corpore carentis, quae perstaret, atque in aeternum, sicuti vivens ipsum corpus agebat, agere quoque posset, alteramque eam a Christo praedicatam vitam, has nimirum aeternarum paenarum aeternorumque praemiorum sedes.

Quo profecto manifestum est nos a principio jure dixisse Virgilii sententias, quibus abfuit morum cura, etiam, quod ad philosophiam spectat, ea omnino spe vacuas esse atque mulcta qualibet, neque bona vel mala ab eo promissa ac porrecta esse, ut in futura vita adipiscenda, quam praesens parare posset.

Scripsit Demophilus « ab hirundinibus nuntiari malae tempestatis finem, a philosophis vero finem perturbationis apud mentes hominum »[1]. Ea, qua talis placatio in hominum mentibus paratur, philosophia, Virgilio minime familiaris erat; utqui artem ante omnia quaereret, atque in eo libro qui Aeneidos quasi caput esse videtur, eas cogita-

1. Orelli, *Opusc. veter. philos. sententiosa*. Cf. Havet, II, 10.

tiones expresserit quae tempore ejus communes, ipsiusque ment acceptae erant.

Quum vero ille poeta exstaret, senescentibus quidem et obsoletis cogitationibus, illae tamen sententiae quas infirmus et fictitius tantum spiritus sustinebat, propria ac mira ingenii forma usque vitam servaverant, et venustatem. Virgilius enim nobis reddidit atque effinxit eas cogitationes quibus temporis sui homines vitam futuram potissimum concipiebant; quae, primum angustae ac infirmae, praesertim aetate nostra, videntur, atque illa quoque ubi Stoici floruerunt, et qua surgebat jam doctrina Christianorum. Ubi autem easdem propius inspexeris et accuratius, manifestum fit eas fabulis ipsis adhaerere quas Stoici de Deo, de natura, usurpabant ac vulgabant, et a quibus Christiani multas et maximi momenti res mutuati sunt.

Quod vero Stoicorum doctrinam altius provexit vitaque et robore vere inflavit, Ethica videlicet, Virgilii carminibus plane abesse videtur. Magna alioquin spei et fictionum moles, qua vita illa futura fingebatur, ubi praesentis nostrae vitae exitus atque eventus esset, in ejusdem poetae

operibus nunquam reperitur. Quo quidem fit ut Virgilius ultimus fere et clarissimus profecto scriptorum illorum exstiterit, qui, temporibus antiquis, audacissimas simul et arctissimas de mundo cogitationes effingere solebant.

Verbum ipsum quo Anchises narrationem inaugurat, latas atque accurate fictas sententias augurari videtur; solemniter enim vocem hanc, « principio » videlicet, inscribit, quam tum Lucretius, tum quoque Tullius usurpaverunt [1], ut longiora carmina et majoris momenti res instaurarent. A primis quoque Virgilii versibus nobis apparet ea Stoicorum doctrina [2] quam in Georgicis jam advertimus : vulgo enim contendebant Stoici inertem materiem, ductilemque molem ac lentam, sine forma ac sine vi propria, cum agente ac potenti spiritu misceri, quo res illa tarda excitaretur et fingeretur, omnesque ex ea producerentur formae.

Quae quidem doctrina e vetustissimis, ut aiunt [3], Indorum fabulis orta, ita a Virgilio explicata fuit, ut error fortasse gigni potuerit, atque fere videatur,

1. V, 192.
2. *De Divin.*, I, 11.
3. J. DARMESTETER, loc. cit.

si quis primos istos versus singulatim spectet, latius eosdem longiusque tendere quam quo poeta ipse voluit : ut etiam usque ad aliquos de natura animae visus sese attollere videatur. Quod profecto illius ingenio omnino abfuit. Etenim illud ipsum principium, quod ab Anaxagora νοῦς appellatum fuit, quodque a mundo et natura universa sejunctum esse ille putavit, atque mentis fontem et spiritus praecipuum esse praedicabat [1], iis Virgilii versibus nullo modo significatur; nedum aliud quodlibet adhuc exquisitius et naturae minime connexum. Stoicorum videlicet physicam eo carmine evolvit poeta; quod apertius etiam patefacere mihi licebit.

Haud ceterum difficile est reperire e quibus, in primis iis componendis versibus, Virgilius fontibus cogitationes suas hauserit; quippe qui abundantiores, potius quam rariores, nobis ostenderentur, ita ut ea ipsa abundantia possimus occaecari : nonne enim Xenophanes se « quum coelum intueretur, profiteri *Unum* esse *Deum* » accepimus [2]? Tullius

1. Cf. Simplicius, *Phys.*, I, 33.

2. Ξενοφάνης δὲ πρῶτος τούτων ἐνίσας, εἰς τὸν ὅλον οὔρανον ἀποβλέψας, τὸ "Εν εἶναί φησι τὸν Θεόν. » (Arist., *Metaphys.*, I, 5, p, 986 B.)

praeterea in poemate Consulatus [1] Uraniam inducebat Musam ejusmodi sententias eloquentem : ut jam vulgatae viderentur ejusmodi cogitationes.

Ea tamen doctrina, quae vitas omnes ex uno spiritu gigni praedicat, et emanare formas singulas [2], si quidem est apud Thalem, atque apud Orphicos inveniebatur, atque usque per Indorum caliginem perspici posset, hoc vero, quod Virgilius igneam vim atque originem coelestem in elementis agnoscit quae ex universo foco ejecta sunt, omnis profecto dubitatio vincitur, Stoicorumque sententiae ibi etiam plane apparent. Virgilius enim Posidonii verba paene usurpavit ; aiebat Stoicus « Deum esse purum quemdam spiritum atque igneum, ipsum quidem sine forma, sed secundum voluntatem propriam transmutatum et rebus omnibus immixtum » [3]. Poetica prorsus Lucretii verba, nunquam autem ingenium ipsum ac doctrinam imitatus est Virgilius ; animadvertimus enim, in eo ipso loco,

1. *De divin.*, I, 11.

2. Cf. LUCR. : « Namque canam tacita naturam mente potentem, — Infusumque deum caelo, terraque, marique. »

3. Ap. STOB., *Ecl. phys.*, II, 58, p. 14, ed. MEINEKE : « Ποσειδώνιος πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, οὐκ ἔχον μὲν μορφὴν, μεταβάλλον δὲ εἰς ὃ βούλεται καὶ συνεξομοιούμενον πᾶσιν. »

ubi maxime ex altero poeta Aeneidos auctor sententias hausisse videtur [1], Lucretium tamen materiei tantum miracula expandisse; Virgilius vero eadem sidera, idemque coelum, deo atque vitae haerere, secundum meram Stoicorum doctrinam, praedicavit.

Nobis etiam notum est sidera [2], ut Titanes, ac Lunam singulariter Stoicorum studia occupavisse, taliaque corpora in eorum physica locum praecipuum tenuisse. Ut jure Servius dixerit πῦρ νόερον Stoicorum ibi omnem locum occupare [3]. Quod ad « originem coelestem » spectat, hoc verbo primordialis aether, vel coelum, significatur [4]. Cicero enim, ut eruditus, ita criticus scriptor, doctrinam Cleanthis potissimum sequitur, illamque in iis ipsis rebus ubi ceterorum Stoicorum doctrinam deserere Cleanthes videbatur [5]. Nimium profecto esset existimare Virgilium hanc vel alteram Stoici cujuslibet doctrinam quaesivisse; omnem potius doctrinam effingere contendit; eoque ipso, quod vulgatas maxime sententias exprimit, ad hoc idoneae

1. V. 69 sqq.
2. Ap. Stob., ed. Meineke, p. 150 sqq.
3. « *Titaniaque astra...* »
4. Cleanth., ap. Cic., *De nat. deor.*, II, 15.
5. Cf. Diog., *Vita Zenonis*, VII, 138, 139.

eaedem fieri possunt, ut mentem ejus suscitent, atque carminibus materiem praebere possint.

Illa cogitatio qua anima mundi celebratur, jam a Pythagora expressa [1], duobus praecipue modis explanata fuerat a philosophis : eam nempe Platonis discipuli et magister ipse Plato mystico sensu induerant atque habitu [2]; Stoici vero eam ad vitam et materiem diviniorem antea redegerant. Ipse usque adhuc Virgilius, ut qui naturalem tantum tractaret philosophiam, Stoicorum doctrinae adhaeserat. Iis contra versibus, qui post illud philosophiae physicae prooemium scripti fuere, animadvertimus illum cecinisse mysticis omnino sententiis.

Sensus enim ac spiritus philosophiae, ipsaque verba, mutantur; nec jam universam rerum doctrinam, sed peculiarem quemdam finem spectavit poeta. Vitam nempe futuram patefacere, sortemque hominum, in vita praesenti tam incertorum, explicare ac solvere tentat. Ibi quidem mire conveniret Aristotelis sententia : « Φιλόσοφος φιλόμυθος. »

1. Cf. Cic., *Tusc.*, II, 10. — « Ζεύς εστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ'οὔρανος, Ζεύς τοι τὰ πάντα... »

(*Æschyl. ap. Cl. Alex. Strom.*, XIV, 172.)

2. *Philebus*, II, III, 169 sqq., ed. Teubner; *Sophista*, ibid., II, II, p. 182, 207, 235.

Minime profecto mirum est creatam a tali poeta religionem cum philosophia misceri; in eo praesertim opere, ubi necesse erat istius modi verbis uti, quae homines allicerent, mentesque eorum hoc proprio imperio subigerent quod tamdiu Virgilius exercuit. « Tendebant » quoque ejus aetatis homines « manus suas » ad poetam qui « ripam eam ulteriorem »[1] describeret, quam omnes aliquando attingere debebant; quodsi talis poeta surgeret, lucidior simul quam ipsi philosophi erant atque omnium mentibus aptior, idque satis intelligeret quo indigebant animi, priscis fabulis oppressi ac satiati, ille profecto maximae celebritatis ac gloriae statim certus erat.

Surrexit ergo Virgilius, dumque Romam vetustissimam canebat, praesentis suae aetatis civibus ea ministrare peritus fuit, quorum erant avidissimi; ut viventibus loqueretur, dum celebrabat praeteritos. Quod quidem, ut de tota Aeneide verum, praecipue eo modo manifestum fit, quo poeta, iis nostris carminibus, inter clarissima facta locupletissimas cogitationes intertexuit.

1. « Tendebantque manus, ripae ulterioris amore. »

Quas prorsus iis fontibus hausit, ubi eam philosophiam invenire poterat quae cum fabulis et religione consentiret. Virgilius enim, ubi animarum universarum originem omisit, ad humanarum peculiariter animarum sortem transit : quam mutationem ingenii indicat atque patefacit nova canendi ratio, in iis carminibus ignota quibus poeta meram ac simplicem philosophiam tractaverat.

Nulla quidem re aperte manifestum fit de homine solo sermonem jam nunc induci; quum autem verbum illud « noxia corpora », nobis pravum carnis super anima imperium signat, illud profecto quod arguimus satis patefactum esse videtur. Anima enim, quam « artus hebetant », obruuntque « metu », et cupidine, et dolore, et gaudio, vera luce prorsus orbata, « clausa tenebris et carcere caeco », nihil jam Stoicorum servat : Platonem hic agnoscimus, nobisque notum est qua ratione Virgilius eam doctrinam attigerit, unde illam sit mutuatus; ipsa ea, qua expanditur, persona, initiationis speciem gerit, ut quae defuncta sit, id est « vates »[1].

1. Stob., *Florileg.*, CXV.

Duplex enim ea natura philosophiae erat, quae defluxerat a Platone, ut varii modi discipulos produceret; utpote quae relligionem simul ac philosophiam contineret; eaque ipsa ratione illam facilius plurimi interpretarentur. Fuerat nempe Plato, siculi dictum est, tam Pythagoricus quam Socraticus : « Socratis enim ironiae Samii sapientiam conjunxerat »[1]. In Virgilii versibus eas Pythagorae sententias indagamus quae apud Platonem atque omnes antiquorum temporum auctores adeo valuerunt, quia aeternas quaestiones solvere videbantur. Elatioris enim indolis homines atque mentis cultae, qui in ipsis scriptorum philosophicorum operibus sententias istas investigare poterant, minorisque simul eruditionis gens, Pythagoreoque ritu imbuta, easdem cogitationes libentissime agnoscebant, dum carmina perlegebant quibus poeta Romam canebat; illas enim Virgilius arte propria lucidiores ac quasi familiares faciebat.

Summa prorsus arte Virgilius physicae doctrinas cum mysticis fictionibus internectit. Iis quidem

1. *Anthol.*, IX, 188.

hominibus quibus doctrinae ejusmodi satis compertae sunt, nullo modo contrarium, vel etiam mirum esse videtur, tales sententias commisceri; primo etiam aspectu omnia haec inter se minus cohaerere non animadvertitur, temporisque ejus praesertim hominibus omnino non apparebat : comoediam enim ipsam invaserat, vel Siculam saltem, Pythagorae religio, Virgiliusque forsitan in quodam Magnae Graeciae theatro hosce Epicharmi versus audiverat : « Quod junctum fuerat, sejungitur; res quaeque eo redit unde erat exorta, terra ad terram, animaque seorsum[1]. » Quos profecto, si singulos inspicias, fere omnes excepisse videtur T. Lucretius[2]. Hoc verbum, « seorsum » videlicet, stoicum erat, dum naturam tantum exprimebat; christianum deinde fiet quum mysticas res amplectetur.

Non quidem usque ad id invehitur Virgilius, idque modo tentat, ut sententias vel potius somnia recolligat, quibus hominum mentes ludificabuntur, et quae librum suum quadam vaticinii specie exornabunt; ipse ceterum poeta religioso quodam

1. Plut., *Consol. ad Apollon.*, p. 110. Prudent., IV, 177.
2. Cf. II, 991.

motu magnas eas cogitationes spectat, quas nunquam sineveren retia ac tremore aggreditur[1]; eam nullo modo facilitatem affectat qua Plato doctrinas easdem de sorte animarum tractare atque agitare solebat[2].

Cicero eam sententiam iisdem fere verbis expressit, qua anima sicut corporis captiva fingitur; omnino vero ab Aeneidos inferis alienum est illud, ut sidera quasi aeternae animarum sedes habeantur; quod Scipio apertissime indicat apud Tullium, postquam stellam ut Paradisum indicare contendit.

Ab Orphicis ad Platonem, atque inde Virgilium haec cogitatio defluxerat : quod scriptis eorum plane manifestum est[3]. Postquam videlicet exstincta est vita corporis, animamque illud solam reliquit, longus incipit excursus, cujus singulae vices accurate descriptae sunt; nec jam apud Virgilium ea anima apparet quae, ut ita dicam, humanum habi-

1. « Sit mihi fas,... sit numine. »

2. *De rep.*, VI, p. 519 sqq., ed. Bekker.

3. P. 62 B; p. 400 C. — « Δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα θέσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα (i. l. σῶμα) ὡς δίκην διδούσης τῆς ψύχης ὧν δὴ ἕνεκα ἴδωσὶ, τοῦτον δὲ περίβολον ἔχειν, ἵνα σωζήται δεσμωτηρίου εἴκονα. » (*Cratylus*, l. cit.)

tum retinet, aut duplex illa forma quam vetustiores Aegyptiorum relligiones jam fingebant; illae nimirum animae Homeri Inferos occupant, easdemque nuper Aeneas eadem agentes videbat, quae per vitae tempus libentissime agebant.

Nunc vero de anima sermo inducitur, qualis eam mystici intelligunt; excerptaque e materie elementa atque attributa mira ratione coalescunt, una cum perstanti quadam personae conscientia; quandoquidem necesse est ut animae istae, memoria corporis adhuc imbutae, oblivionem totam adipiscantur; nec bene exprimi potest illud nescio quid, materiae neque plane haerens neque omnino alienum, quod lustrari debet, et fornace expurgatur, et suspenditur, lavaturque vel uritur; vitalis nimirum substantia, quae, peracto tempore, rursus in corpus reverti cupit.

Si quidem ritus poenarum ac praemiorum aeternorum, quae homines per vitam meruerunt, post Virgilium tantum conceptus et explicatus fuit[1], apud eum tamen aliqua invenimus illarum sententiarum semina quae maximum apud Christianos

1. Vid. Plut., *De vita morali*, X.

locum obtinent. Fatum vero, pravumque corporis jugum, miseris iis animis labes impressit, quae longo poenarum ordine demum lustrari possunt. Omnino enim poetae deficit culpae humanae fictio, graviorque vitae species, praesertimque felicis vel miserae aeternitatis imago. Etenim, inconstantia quadam mira, eo animae tantas per lustrationes transeunt, ut ad corpora ista redeant quibus tantopere opprimebantur atque dejiciebantur.

Etenim illae labes suas expurgabunt, ut idoneae fiant ad obliviscendam vitam priorem, illudque cupiant ut ad vitam revertantur. Ea nimirum fabula, quae oblivionem in Lethaea unda parari fingebat, poeta ad id perductus fuisse videtur, ut miram hanc resurrectionem conciperet, qua lustratae semel animae iterum fallunt atque corrumpuntur. Ibi quidem advertere licet qua ratione uti soleat Virgilius : qui, dum illud curat, ut apte miscere possit excerpta simul e fabulis et philosophis elementa, haec nonnunquam conjungit quae re vera minus cohaerent ; vel imperfectas etiam ac steriles cogitationes perpetuat. Illam ceterum viam saepius sequebantur antiquae philosophorum doctrinae, vanis somniis non omnino liberatae, ut sententias

suas graviores fabulis ornarent, atque majorem ex illis auctoritatem acciperent [1].

Ex imis et antiquissimis temporibus ortus erat mos cogitandi de iis, quas animae post mortem subirent, lustrationibus, atque undique mysteriis erat vulgatus, omnibusque relligionibus quae homines allicere tentabant, ut quae explicarent res eas quibus exagitabantur mentes illorum; ut certiores illos facerent sortis hujus quae post vitam futura esset, defunctis.

Romae etiam, religiosi animi homines nonnulli animam sibi lustrabant [2], ut ritus solemnes posthac adirent, sicuti nunc etiam Christiani sacramenta quaedam non adeunt nisi quum animam suam omni peccato ac labe expurgaverunt. Magna prorsus auctoritate valebant Pythagoricae doctrinae, quas simul philosophi, sicut Plato, popularesque fabulae propagabant, quasque familiariter accipiebant et lectissimi viri et omnino inculti.

Eas nimirum apud Virgilium agnoscimus : haec enim, inter ventorum flatus, animarum sus-

1. Cf. G. Boissier., *Rel. rom.*, I, p. 282 sqq.

2. Petron., *Satiricon*, 44 : « Ibant, nudis pedibus, in clivum. passis capillis, mentibus puris... »

pensio, si Servio credimus [1], bacchanali et vulgari quodam ritu figurata erat, qui inter ruris homines curiose observabatur, summaeque auctoritatis erat et, ut opinabantur, efficacitatis. Ignis enim inferior, quam hoc ipse, et aqua, erant; in vendemiarum videlicet festis, « oscilla » haec, et inter ramos suspensa simulacra, relligione praescripta erant. Eaedem illae cogitationes postea, sicut apud Plutarchum advertimus, eam formam induerunt quae portentosis medii aevi somniis non esset indigna.

Breviter quidem eas, sed accurate tamen effingebat Virgilius. Post lustrationem materiei, sequitur ea altera quae animam ipsam ac spiritum lustrare videtur; poenas enim furiales patitur anima. Ubi quidem de Manibus inducitur tantis contentionibus agitatus sermo. Jam enim apud Graecos aperte conceptus fuerat inhaerens homini genius, ex primo statim tempore vitae, qui quidem hominem sequeretur per omnem viae decursum « sicuti mystagogus initiatum dirigit » [2].

1. Ad versum 389 III[i] l. *Georgicorum*.

2. MENAND., ap. CLEM. ALEX., *Strom.*, V, 260, ed. Migne. « Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται, εὐθὺς γενομένῳ μυστάγωγος τοῦ βίου. »

Romani vero, ut qui forsan Etruscorum sententias servarent, duplicem eumdem hunc esse fingunt, quem Christiani sicut angelum et servatorem conceperunt; Manes quidem in hoc Virgilii carmine eum locum occupant quem Homerus atque Aeschylus Erinnyis assignabant[1]. Non vero anima jam est vana haec Homericorum Inferorum species; quae, ut purior, ita ab geniis fere omnino incorporabilibus mulctatur, sicut ibi Manes exsistunt. Nigri quippe homines, et ii fere « diaboli », quos tanta cura apud Platonem describebat Her Pamphylius, nullum ibi locum tenent; non enim portentosa istiusmodi monstra Virgilius, sed, in fictitiis et spiritalibus inferis, spiritales figuras collocavit.

Praestantiores quaedam animae, sicuti Anchises est, solae ad id admittuntur, ut « campos laetos » invisant, in pindaricis cantibus jam celebratos. Nulla vero eam legem effugere potest, qua vitae terrestri redduntur omnes; Anchises ipse nullo modo in aeternum Anchises futurus est. Cyclus enim quisque mille durat annos; quibus peractis, anima rursus pura fit et subtilis, atque a deo psy-

1. *Iliad.*, XIX, 59; — *Eumenid.*, 321.

chopompo ad Lethaeum littus revocatur; ut in fluvii undis bibat caterva animarum, iterumque corpoream vitam desideret.

Philosophica nimirum explicatio, in qua semper fabula immixta erat, fabula etiam concluditur, Anchisesque postea recensionem animarum incipit, ex quibus Romae futurae heroes spiritum concipient. Idem iste mille annorum numerus, qui a Virgilio indicatus est ut subter terram expurgari animae possint, etiam a Platone datus est [1]. Novem tantum annos Pindarus hanc seriem proferri existimabat [2]. Alterum igitur hoc testimonium est, quantum Plato apud Virgilium, quod ad eos versus attinet, valuerit; monstraturque simul deum, a quo evocatae animae erant, et ad oblivionis ripam ducuntur, nullo modo Psychopompum esse Hermen, quem ibi Servius agnoscere voluit, sed potius incertum illum daemona quem Plato nobis in libro *De Republica* ostendit [3].

1. *Phaedr.*, 249.
2. Ap. PLATONEM, *Menon*, p. 81. Cf. BERGK., *Fragm.*, 98.
3. *De Rep.*, X, 705 E, et *Phaedrus*, 1222; *Phaedon*, 84 D. — *De Rep.*, 761 D et E. — VIRGIL., ed. Heyne. — CLEM. ALEX., *Stromata*, IV. — HEYNE, *Excursus*, XIII, ad librum VI, « miscuit pythagorica platonicis ».

Servat usque Virgilius mysticam simul ac mythicam sententiarum naturam qua illae ad fabulas et religiones appropinquare videntur.

Recte igitur diximus Aristotelis sententiam : « φιλόσοφος φιλόμυθος »[1] illi mire aptam esse. Semper enim φιλόμυθος fuit, in eo praesertim opere, omnibus hominibus apto, quodque vitae ejus principium ac finis esse videtur. Quamvis versibus brevissimis, triplici vice, tales sententias tractaverit in opere longissimo, processus ipse in illis idem apparet qui in tribus quoque poematibus advertitur. Imitationem enim fere rudem in Bucolicis sequitur et affectat; ingenio jam validus in Georgicis, in Aeneide demum summum opus effingit.

Semper « Acherontis strepitum » ille audivisse videtur, sicut ejus patriae atque aetatis homines solebant; nunquam altissimas atque ab ipso ingenio tantum effluentes cogitationes concepit. Rerum profecto causas investigare non valuit, eosque homines majores esse sensit, qui eas perscrutarentur, quam quos ipse sequi posset. Secundum principis Octavii votum, portentosos Orientis deos

1. *Metaphys.*, I, 28, et XI, 8, 324.

in sexti libri fine obruit; manserant tamen apud eum quaedam, a Platone servatae, Orientis fabulae. Inclinare ceterum magis magisque videtur ad relligionem, veraeque apud eum philosophiae locus arctior in dies fuit.

Quum praeterea nullo pacto mores spectet, qui mox maximum in Romanorum operibus locum obtinebunt, jamque maximam versibus Flacci virtutem ministrabant. Duae prorsus causae apertum facere possunt cur tales de vita humana quaestiones Virgilii carminibus omnino absint; genus videlicet ipsum carminum, indolesque simul propria poetae : quod primum in sexto Aeneidos libro manifestum est, ubi voluntariam mortem condemnavit simulque talis mortis conscios homines inter damnatos numerat, quamvis postea Catonem Uticensem celebret. Mortis voluntariae morbus, quem multi praedicaverant ac propagare nitebantur, vivax usque permanserat [1], romanosque cives semper abripiebat [2]; principis nimirum sententias sequebatur, qui hoc reprobare contendebat : refel-

1. Hegesias Pisithanatos atque ejus discipuli. Ap. VELLEIUM, VIII, 9, ext., 3.
2. Cf. HAVET, *Le christianisme et ses orig.*, II, 6.

lit ergo illud Virgilius, tacito quodam jussu, quamvis Catonis gloriam simul caneret.

Nunquam vero eam immortalis animae doctrinam tractavit, quae, eo tempore, ut vehementer repulsa atque denegata, apud mentes tamen plurimorum vulgata erat [1]; Virgilius enim eum negandi ardorem in se minime ferebat, quo incensus fuerat Lucretius, nec magis altissimas philosophiae sententias attingebat : ut qui ad pingendum potius quam ad meditandum ac philosophandum esset idoneus, vitamque et naturam praecipuo studio effingeret, cogitationesque acciperet, nunquam vero augeret vel ipse crearet. Qua ratione sentiendi atque scribendi simul ingenium suum, aetatisque, in qua vixit, et patriae suae, curas atque studia nobis patefecit.

1. Diog., *Peripat.*, et Cic., *Tuscul.*, I, 10, 31.

# APPENDICES

P. 3.

« L'esprit romain ne rêve pas volontiers; il ne semble pas qu'il se soit tourmenté pour éclairer la nuit qui couvre l'origine du monde et de l'homme, ou pour se représenter une existence à venir. Il se contente de rendre scrupuleusement des devoirs aux morts dans leurs tombeaux; il n'a point de mystères; il ignore l'apothéose, il ne connaît pas l'enthousiasme; il n'a ni inspirés ni oracles. » (Em. Havet, *Le Christianisme et ses origines : l'hellénisme*, II, 57.)

P. 5

Cf. Inscriptiones ap. Friedlaender. Plinius major scripserat : « De manibus. — De anima. — Post sepulturam variae manium ambages. Omnibus a suprema die eadem, quae ante primum : nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animae, quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, et in mortis quoque

tempora ipsa sibi vitam mentitur : alias immortalitatem animae, alias transfigurationem sensum inferis dando, et manes colendo, deumque faciendo qui jam etiam homo esse desierit : ceu vero ullo modo spirandi ratio homini a ceteris animalibus distet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo similem divinat immortalitatem. Quod autem corpus animae per se? quae materia? ubi cogitatio illi? quomodo visus? auditus? aut qui tangit? qui usus ejus? aut quod sine his bonum? Quae deinde sedes, quantave multitudo tot saeculis animarum, velut umbrarum? Puerilium ista delinimentorum, avidaeque nunquam desinere mortalitatis commenta sunt. Similis et de adservandis corporibus hominum, ac reviviscendi promissa Democrito vanitas, qui non revixit ipse. Quae (malum) ista dementia est, iterari vitam morte? Quaeve genitis quies unquam, si in sublimi sensus animae manet, inter inferos umbrae? Perdit profecto ista dulcedo credulitasque praecipuum naturae bonum, mortem : ac duplicat obitus, si dolere etiam post futuri aestimatione evenit. Etenim si dulce vivere est, cui potest esse vixisse? At quanto facilius certiusque, sibi quemque credere, ac specimen securitatis antegenitali sumere experimento? (C. Plinii Secundi *Historiarum Mundi* lib. VII, LVI, 55, t. III, p. 124, 125, ed. Plon, 1845, in-8.)

Cf. etiam : « Somno aeterno » (Orelli, 4428); « Securitati sacrum » (Ibid., 4849); « Securitati perpetuae... — aeternae » (Renier, *Inscr. de l'Algérie*, 946, 947).

P. 8.

« .... Somnia censet haec esse Democriti, non docentis, sed optantis. Ipse autem, singulas mundi partes persequens, quid aut sit aut fiat, naturalibus fieri, aut factum esse docet ponderibus et motibus. Sic ille et deum opere magno liberat, et me timore. Quis enim potest (quum existimet a deo se curari) non et dies, et noctes divinum numen horrere? et, si quid adversi acciderit (quod cui non accidit?), extimescere, ne id jure evenerit? Nec... tamen assentior.... Modo hoc, modo illud probabilius videtur. » (Cicer., *Acad.*, II, XXXVIII, p. 110, 111, ed. J.-V. Le Clerc, in-16, Lefèvre, 1824.)

« Hunc si acerbe et penitus oderat, non eum quam diutissime vivere velle debebat?... Qui si quid animi ac virtutis habuisset (ut multi saepe fortes viri in ejus modi dolore), mortem sibi ipse conscisset : huic quamobrem id vellet inimicus afferre, quod ipse sibi optare deberet? Nam nunc quidem quid tandem illi mali mors attulit? nisi forte *ineptiis ac fabulis ducimur*, ut existimemus, illum apud inferos impiorum supplicia perferre, ac plures illic offendisse inimicos, quam hic reliquisse : a socrus, ab uxorum, a fratris, a liberum poenis actum esse praecipitem in sceleratorum sedem atque regionem. *Quae si falsa sunt, id quod omnes intelligunt*, quid ei tandem aliud mors eripuit, praeter sensum doloris? » (Cic., *Pro A. Cluentio Avito*, LXI, p. 108, 109, Oration., t. III, ed. Plon, 1845, in-8.)

« Tum Lucilius : ... Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, quum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen

praestantissimae mentis, quo haec regantur? Quod ni ita esset, qui potuisse assensu omnium dicere Ennius,

> Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes
> Jovem!...
> ... Quid evidentius?

(*De nat. deorum*, II, 2, p. 69, 70, ed. J.-V. Le Clerc.)

« Itaque ego ipse pontifex, qui caerimonias religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim : multa enim occurrunt, quae conturbent, *ut interdum nulli esse videantur.* » (Ibid., I, XXII, p. 33.) — Quae redarguit Cotta, ibid., III, IV, p. 165.

« Cic. Dic, quaeso, num te illa terrent, apud Inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, « mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? » num illud, quod

> .... Sisyphu' versat
> Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum?

fortasse etiam inexorabiles judices, Minos, et Rhadamanthus? Apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec, quoniam apud graecos judices res agetur, poteris adhibere Demosthenem.... Haec fortasse metuis, et idcirco mortem censes esse sempiternum malum.

VI. Aud. Adeone me delirare censes, ut ista esse credam? — Quis est enim tam excors, quem ista moveant? — Cic... Ne sunt quidem apud Inferos ulli. — Aud. Ita prorsus existimo. » (*Tuscul quaest.*, I, V, VI, p. 6, 7, 8, ed. Le Clerc.)

Atque ea nimirum, quaecumque Acherunte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis.
Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus....
Nec Tityon volucres ineunt...
Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est....
(Lucr., *De rer. nat.*, III, 990 sqq.)

« Ne trepides coeli divisis partibus amens.... »
(Ibid., VI, 85.)

P. 9.

« Hic quis potest esse, Quirites, tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget, haec omnia, quae videmus, praecipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu atque potestate administrari?... Ille, ille Jupiter restitit.. . Diis ego immortalibus ducibus.... Id non divinitus factum esse putatis. » (Cic., *adv. Catil. or.*, III, passim, et IX, p. 247, 248, ed. Plon, in-8.)

« Erant, qui deos immortales, id quo ego sentio, numine suo reditum meum dicerent comprobasse. » (*Pro domo sua*, VI, ibid., p. 196.)

« Marcumque Varronem, et M. Catonem, qui tum ibi (Dyrrachii) erant, doctos homines, vehementer esse perterritos.... » (*De divin.*, I, XXXII, p. 255.)

« Quae dicta Pompeio? Etenim ille admodum extis et ostentis movebatur. » (*De divin.*, II, XXIV.)

Extorres iidem patria, longeque fugati
Conspectu ex hominum, foedati crimine turpi,
Omnibus aerumnis affecti denique vivunt :
Et quocumque tamen miseri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, et Manibu' divis
Inferias mittunt : multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad relligionem.
(Lucr., *De rer. nat.*, III, 48-54.)

P. 11.

Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures :
Quae mare compescant causae; quid temperet annum ;
Stellae sponte sua jussaene vagentur et errent ;
Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
Quid velit et possit rerum concordia discors;
Empedocles, an Stertinium deliret acumen...
(Q. Hor. Flacci *Epist.*, XII, *ad Iccium.*)

Sunt aliquid Manes, lethum non omnia finit;
Horridaque evictos effugit umbra rogos.
(Propertii *El.*, IV, vii.)

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
.... Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.
(Ibid., III, xx.)

P. 12.

Vir fuit hic ortu Samius...
Mente Deos adiit...
... magni primordia Mundi,
Et rerum caussas, et quid natura, docebat;
Quid Deus ;...
Et quodcumque latet. Primusque animalia mensis
Arcuit imponi.
(Ovid., *Metam.*, XV.)

P. 15.

« Credo, *Syronem* [1] dicis, et Philodemum, quum optimos viros, tum doctissimos homines. »
(Cic., *De fin. bon. et mal.*, II, xxxv, p. 243.)

1. Vera autem nominis forma *Siro* fuisse videtur e graeco qui scribitur Σείρων. (Benoist, *Notice sur Virgile*, p. lxxxvii. n. 2.)

P. 20.

Αὐταρ...
πρῶτα μὲν ἀρχαίου Χάεος μελανήφατον ὕμνον·
ὡς ἐπάμειψε φύσεις, ὡς οὐρανὸς ἐς πέρας ἦλθε,
γῆς δ'εὐρυστέρνου γένεσιν, καὶ πύθμενα πόντου.
πρεσδύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν Ἔρωτα·
ὅσσα τ'ἔφυσεν ἅπαντα, διέκριθε δ'ἄλλον ἀπ' ἄλλου....
(Orph., *Arg.*, V, 417 sqq.)

Ἤειδε δ' ὡς γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα,
τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μιῇ συναρηρότα μορφῇ,
νείκεος ἐξ ὀλοοῖο διέκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα·
ἠδ' ὡς ἔμπεδον αἰὲν ἐν αἰθέρι τέκμαρ ἔχουσιν
ἄστρα, σεληναίη τε, καὶ ἠελίοιο κέλευθοι....
(Apollon., *Argon.*, I, 496 sqq.)

P. 21.

συμδαίνει δ'Εμπεδόκλει γε καὶ ἀφρονέστατον εἶναι τὸν θεόν. μόνος γὰρ τῶν στοιχείων ἓν οὐ γνωρίζει, τὸ νεῖκος, τὰ δὲ θνητὰ πάντα κ. τ. λ. (Aristotelis περὶ ψύχης, A, 5, 410 b, ed. Teubneriana.)

P. 29.

« Haec enim, quae dilatantur a nobis, Zeno sic premebat : « Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod « ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. Ratione « igitur mundus utitur. » Similiter effici potest, sapientem esse mundum ; similiter, beatum ; similiter, aeternum.

Omnia enim haec meliora sunt, quam ea, quae sunt his carentia; nec mundo quidquam melius; ex quo efficitur, esse mundum deum. Idemque hoc modo : « Nullius « sensus carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundi « autem partes sentientes sunt. Non igitur caret sensu « mundus. » Pergit idem, et urget augustius : « Nihil, « inquit, quod animi, quodque rationis est expers, id « generare ex se potest animantem compotemque ratio- « nis. Mundus autem generat animantes compotesque « rationis. Animans est igitur mundus composque ratio- « nis.... Cur igitur mundus non animans sapiensque « judicetur, quum ex se procreet animantes atque sa- « pientes. » (Cic., *De nat. deor.*, II, viii, p. 79, 80, ed. J.-V. Le Clerc.)

P. 31.

ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν δ᾽οὔδέποτ' ἄνδρες ἔῶμεν
ἄῤῥητον; μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυίαὶ,
πᾶσαι δ'ἀνθρώπων ἀγοραί· μεστὴ δὲ Θάλασσα,
καὶ λιμένες· πάντηδὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

(Arat., *Phaen.*, V, i.)

P. 43.

« Item *Hortationes ad philosophiam*... exposuit. » (Suet., *Caesar Octav. Aug.*, LXXXV.)

P. 51.

« Atque ea quidem tota esse *ignea*, duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat. » (Cic., *De nat. deor.*, II, xv.)

P. 51.

« Veniat Aeschylus non poeta solum, sed etiam Pythagoreus : sic enim accepimus... etc. » (Cic., *Tusc. Quaest.*, II, x, p. 90.)

P. 51.

Σω. — Οὐκοῦν σμικρὸν μέν τι το παρ' ἡμῖν καὶ ἀσθενὲς καὶ φαῦλον, τὸ δ'ἐν τῷ παντὶ πλήθει τε θαυμαστὸν καὶ κάλλει καὶ πάσῃ δυνάμει τῇ περὶ τὸ πῦρ οὔσῃ.

Πρω. — Καὶ μάλα ἀλήθες ὃ λέγεις.

Σω. — Τί δαι; τρέφεται καὶ γίγνεται ἐκ τούτου καὶ ἄρχεται τὸ τοῦ πάντος πῦρ ὑπὸ τοῦ παρ' ἡμῖν πυρός, ἢ τοὐνάντιον ὑπ' ἐκείνου τότ' ἐμὸν καὶ τὸ σὸν καὶ τὸ τῶν ἄλλων ζώων ἅπαντ' ἴσχει ταῦτα; (Plat., *Philebus*, p. 169, 170. partis II[ae] vol. III, ed. Imm. Bekker.)

Καὶ Σικελαί τινες ὕστερον Μοῦσαι ξυνενόησαν ὅτι συμπλέκειν ἀσφαλέστατον ἀμφότερα καὶ λέγειν ὡς τὸ ὢν πολλάτε καὶ ἕν ἐστιν, ἔχθρᾳ δὲ καὶ φιλίᾳ συνέχεται.... (*Sophistae*, p. 182, t. II, p. II, ed. Bekker.)

Ὁ δέ γε φιλόσοφος, τῇ τοῦ ὄντος ἀεὶ διὰ λογισμῶν προσκείμενος ἰδέᾳ, διὰ τὸ λαμπρὸν αὖ τῆς χώρας οὐδαμῶς εὐπετὴς ὀφθῆναι· τὰ γὰρ τῆς τῶν πολλῶν ψυχῆς ὄμματα καρτερεῖν πρὸς τὸ θεῖον ἀφορῶντα ἀδύνατα. (Ibid., p. 207, 208.)

.... Ἀλλὰ θήσω τὰ μὲν φύσει λεγόμενα ποιεῖσθαι θείᾳ τέχνῃ, τὰ δ'ἐκ τούτων ὑπ' ἀνθρώπων ξυνιστάμενα ἀνθρωπίνῃ, καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον δύο ποιητικῆς γένη, τὸ μὲν ἀνθρώπινον εἶναι, τὸ δὲ θεῖον. (Ibid., p. 235.)

P. 54.

Ἀτθίδος εὐγλώττου στόμα φέρτατον, οὗ σέο μεῖζον
φθέγμα Πανελλήνων πᾶσα κέκευθε σελίς·
πρῶτος δ' εἴς τε θεὸν καὶ ἐς οὐρανὸν ὄμμα τανύσσας,
Θεῖε Πλάτων, ἤθη καὶ βίον ἠυγάσαο,
Σωκρατικῷ Σάμιον κεράσας μυκτῆρι φρόνημα,
κάλλιστον σεμνῆς σῆμα διχοστασίης.

(*Anthol. graeca*, IX, 188, t. II, p. 63,
ed. Fréd. Jacobs, 1814, in-8.)

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XI Kal. jan. ann. MDCCCXCV,
*Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi*
*Decanus*,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
*Academiae Parisiensis rector*,
GRÉARD.

# RERUM INDEX



Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD. — 269-95.